

26.

Q. D. B. V.  
NUMINE DIVINO ASPIRANTE 6.  
ATQUE  
*MAGNIFICI ET AMPLISSIMI*  
**SENATUS THORUNENSIS**  
AVCTORITATE  
AD  
**SOLENNEM INAVGVRATIONIS**  
**ACTVM,**  
IN QVO  
**VIR O**  
CLARISSIMO ATQUE DOCTISSIMO,  
DOMINO  
**M. IOANNI**  
**ARNDIO,**  
GEDANENSI,  
PROFESSORIS PUBLICI MVNVS  
IN GYMNASIO THORVNENSI  
D. XXIII. APRIL. A. d<sup>o</sup> 1566 XVI  
MORE ET RITV SOLITO  
HORA IX. CONFERETVR,  
ATQUE  
AD AVDIENDAS BENEVOLE ORATIONES  
**MVSARVM PATRONOS, FAUTORES**  
**LITERARVMQVE AESTIMATORES**  
EA, QVA DECET, REVERENTIA, CVLTV  
ET HUMANITATE  
INVITANT,  
STVDIOSAM VERO IVVENTVTM  
PERAMANTER  
CONVOCANT  
**GYMNASIi RECTOR ET PROFESSORES.**

THORVNII, Impressit Ioh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.



inter tam vehementes temporum vicissitudines, & rerum humana-  
rum ludibria, si quid consilii a gubernantibus rempu-  
blicam capi debeat, cum multis deliberandum esset, ut civi-  
tati dignitas pariatur denuo & salus, varia sine dubio &  
inter se maxime diversa sentientium animadverteremus  
argumenta. Neque etiam aliud quid certius expectari  
potest, in tanta ingeniorum varietate & multiplici disper-  
tarum utilitatum discrepantia & ratione. Bello armisque,  
uti ille apud Xenophontem, contendendum esse faverent non pauci, velut uni-  
co propagandae magnitudinis medio, pacisque laudes commendanti Hannibali  
resisterent satis multi Liviani Scipiones, pro continuatione belli propugnaturi.  
Obtemperare enim hoc modo videntur tempori, quo nihil non militum indu-  
stria & virtute effici putat orbis, quorum etiam non tam bonitati & innocentiae,  
si coalesceret ubique pax, ascribendum veniret, quam uni gratiae Divinae. Ve-  
rum enim vero cum urbis speciatim Romanae, ne alias recentiores commemo-  
remus, tot pacis bellique exempla, admirabilemque fortunae conditionem ob-  
oculos ponamus, dubium sane est, cuiusnam fructu ad tantam gloriae magnitu-  
dinem peryenisse censenda sit? Quod si ex Grotii, summi Viri, sententia omne  
bellum propter pacem geratur, huius omnino studiis vindicandum est, ut acqui-  
sitae bello provinciae imperique Maiestas feliciter conservetur. Tot loqvuntur  
nummi & arcus, veteris gloriae & boni ominis documenta, quae principum indi-  
cant studia pacis, cuius beneficio famam suam putabant aeternam fore. Sane non  
aliter belli cupidi armis nobis videntur mederi reipublicae laboranti, atque illi, qui  
quotidiana confectione vulnus dilaniant, urunt, prohibentque ipsa curatione, ne  
superstites in corpore vires eidem infervire possint sanando. Ecquod etiam ali-  
ud est belli lucrum, quam regionis miserae tristissima facies, spatium quoddam  
depopulatorum locorum, exhaustae civitates sumtuque & iacturis ad vastitatem re-  
daetae. Aliorum forte esset non imprudens consilium matura deliberatio &  
opportuna de auxiliis & amicitiae foedere cum proximis & potentioribus Princi-  
pibus ineundo. Vel etiam de copiosa negotiatione restituenda essent solliciti alii  
& facultatibus civium augendis, optimo velut rei bene gerendae nervo. Neque  
pugnaret illud plane cum prudentiae regulis, quandoquidem nemo esset, qui  
moveretur gravissimo Tullii testimonio, reipublicae fulcrum duo esse, opinantis:  
Mercaturam & Literaturam. Quid quod absurdissimus foret, qui diffiteri ausit, o-  
pum affluentiam ac rerum telluris beneficio productarum multitudinem, deniq;  
& commercia laudis dignitatisque reipublicae concilianda materiam amplissi-  
mam esse. At vero fingatur ingens Imperii gloria, bello parta metuque armo-  
rum custodienda: sit amicorum auxiliorumque numerus magnus: adsint milie-  
tes, quorum robore vindicetur utilitas: exstruantur arces & muri hostium fur-  
oribus obiecti: abundet regio omni copia, diffluantque opibus cives: nobis hic  
occurrit sapientissimi Socratis interrogati, quaenam civitas esset firmissima, re-  
sponsum: quae bonos cives alit. Haud vero scimus, an firmiori instrumento  
haec bonitatis, quae in civibus requiritur, laus, fulciri possit, quam proba & sapi-  
enti institutione. Hac enim una rudes & imperiti animi ad virtutis amorem ac-  
cenduntur, sensumque pietatis & religionis accipiunt, ut honestis legibus assueti  
cultum & bonitatem in civili societate ostendant. Solidae illud felicitatis est funda-  
mentum & praesidio nimirum fallaci. Tanto, ne pereat, commodo rei  
publicae auxilium ferunt Doctores in scholis doctrina & prudentia valentes,  
quorum ideo maxime necessaria est communis sapientum consensu opera & labor  
ad ingeniorum culturam. Non pigebit hac de re audire Stoicum sapientem:  
*Non is solus reipublicae prodest, qui candidatos extrahit & tuetur reos, & de pace belloque censet: sed*  
*qui lauentutem exhortatur, qui in tanta honorum praeceptorum inopia virtute instruit animos: qui ad*  
*pecuniam luxuriamque cursu ruentes prensat ac retrahit, & si nihil aliud, certe moratur, in privato pu-*  
*licum negotium agit. An ille plus praestat, qui inter peregrinos & cives aut urbanus praetor adeun-*  
*tibus assessoribus verba pronunciat, quam qui docet, quid sit Iustitia, quid pietas, quid sapientia, quid fortis-  
tudo, quid mortis contemptus, quid Deorum intellectus, quantum bonum sit bona conscientia De Tranq. I. 3.*  
Quo enim in iniquiora tempora incidimus, hoc magis contra malignitatem seculi

eniten-

1598

enitendum est, ut mansuetiori disciplina & honestate animi custodiantur. Illa enim neglecta aut deleta prorsus non humani generis societas, sed indomitarum beluarum est coetus ingens. Plane autem iam a nobis non dissentire existimamus MAGNIFICOS & AMPLIS. PROCERES huius Civitatis, quando restaurandis patriae rebus subvenire omni ratione conantur. Atque eo confidentius id affirmamus, quod cum metu & calamitate belli omnia prostrata iacent, animis ingenuis prospicunt de necessariis honestae vitae praesidiis & doctrina salutari. Fas est palam praedicare munificentiam, qua factum est haud ita pridem, ut vetus domicilium, a quo propter temporum iniurias exularunt quodammodo probi & honestis studiis dediti adolescentes, velut antiqui & ex testamento scripti hospites potuerint reverti. Quo de negotio hoc minus quis sinistre existimet, quo maior iam eorum est laus, qui immortale hoc pietatis suae monumentum condiderunt, ac suae perpetuae in liberalis doctrinae studia voluntatis obsidem voluerunt esse. Cuius gloriae pars maxima debetur Thorunensium Soloni, HENRICO STROBANDO, Viro Consulari & illustri meritorum splendore apud seram posteritatem florenti. Is enim, primo lapide in fundamenta coniecto, negotium aeternae laudis confecit feliciter A. M. D. XCVIII. ac pio hoc molimine divinam gratiam ita sibi conciliare est visus, ut quinto anno post, auspiciatori successu magnificum illud opus exaedificandae curiae aggrederetur. Neque tum difficultas temporum eum deterruit aut retraxit a proposito bene merendi de publica utilitate, cum praefidario militi de domicilio prospiceret intra urbis moenia opportuno. Quanquam tum temporis non deessent, qui, si succederet opus, pronunciarent, gulam se laqueo subiecturos. Adeo quod fieri posse aliquando non creditur, leve fit & dulce iusta cura, ac felicius procedit Dei ope, quam quod in proclivi putabatur esse. Quicquid enim incidit calamitatum, nunquam omnem aufert bene agendi occasionem, ut conquerendi semper praebat multam. Laetor admodum suffragio summi ICtri, IOANNIS BRVNNEMANNI in Iure Eccles. L. II. 6. ubi pro decimis iure solvendis contendit in Ecclesiarum Scholarumque utilitatem, iisque, quibus hoc fieri non posse in tanta temporum calamitate videtur, ita respondet: *Quaero ex te, an Christianus sis, qui haecrides. Si id affimes, credes verbo Divino, quo largissima compensatio talis munificentiae promissa? Credes Iure Divino, Naturali & Canonicō, decimas deberi? Si Politicus es, quaero, unde temporibus Constantini M. Theodosiorum, Tiberii II, Caroli M. &c. [addimus Frid. Sapientis & Augusti Septenvirum Saxonie] tanta rerum abundantia, tanta in bello ac pace felicitas, nisi, quia in Ecclesiam & pauperes effuderunt suas opes. Deus enim nunquam se beneficiis vinci sustinebit. Si historicus es, quaero, an exemplum scias, quod, qui decimas Deo ac Ecclesiae fideliter exsolverit inde pauper factus sit. Reddas mibi rationem unde talis publica paupertas & privata regiones Europae premat, nisi, quia Ecclesiam & Scholas deseruimus, &c. Fisco solvere cogimur, quod Christo dare debuimus.* Quo pluris autem iam faciendum est maximi Viri iudicium, hoc certius medium esse intelligemus revocandi benignius fatum, quando de reducendis vitae mansuetioris praesidiis & legibus doctrinarum quotidie cogitamus. Depravatae mentis indicium esset, non laudare iam institutum praesens MAGNIFICI MAGISTRATVS, & ingratorum crimen coarguendi, qui gratias non agerent publice, cum in hac pietatis & bonarum artium officina recte instauranda lacertos movet nervosque contendit omnes. Applaudit universus Eruditorum coetus: subit admiratio exterius: laudant institutum proximi: denique omnes boni optant & honestatis cupidi, ut Numinis indulgentia feliciter eveniat, fructu laetetur civitas, ac gloria tam salutaris consilii divina providentia suscepit, nunquam intermoriatur. Verat addere alia paginae angustia, unde Timanthis pingendi artificis penicillum imitati, ampliora nunc intelligenda silentio involvamus. Is autem, quem AMPLISS. MAGISTRATVS admovere iam ad publicam docendi provinciam voluit, est Vir CLARISS. & DOCTISS. Dn. M. IOANNES ARNDIVS, honestis Parentibus in vicina Gedanensium Civitate A. M. DC LXXXII natus. Duro est quidem ille adolescentiae initio usus, sed omnes fortunae vices, arduumque Doctrinarum clivum Dei gratia & benignitate Patronorum adiutus feliciter superavit. Non sine summa animi delectatione saepe recordatur eorum, qui prima pietatis & artium elementa tradiderunt, Stephani scilicet Hummii & Bartholomei Kirschii, a iuventute formanda post ad sacrum munus evocati. Huic praesertim tantum

4858

Te debere fatetur gratus ac fere plus, quantum Parenti, quando quotidie ac pie in memoriam revocat lati auxili promptitudinem, doctrinae & pietatis praecepta, innumerabilemque copiam beneficiorum. Cuius autoritate & benevolentia confirmatus ad literarum studia animum applicuit, eademque in patrio Athenaeo imbibenda accuratius feliciter perrexit. Hic, aperto industriae campo, quotquot fuerunt ingeniorum existimatores, & ad docendum Doctores constituti, honestis vitae studiis sibi conciliavit. Quorum ductu & auctoritate in varia Eruditione insigniter profecit, ac diligent exercitatione animum confirmavit. Grata recolit memoria dexteritatem tum temporis in luce hominum & celebritate versatorum nunc in aeterna triumphantium vita virorum, D. S. SCHELGVIGII: D. I. GLO-SEMEYERI, G. GRODECKII, CH. BEHRII, a quibus religionis, sapientiae & lingvarum fundamenta accepit. Neque parum se debere fatetur aliis, qui iam publicorum munerum amplitudine & sanctitate in Republ. & Ecclesia fulgent, sibyllatum IO. G. a DVSEL DORFF exquisito ICto & CONSVLI GEDAN. DAN. GRADIO ad D. Mar. Pastori, & CH. SAHMIO Doctori Theologo & Eccles. Regiom. qui institutione ipsum dignati sunt iuxta & patrocinio ornarunt. Nec praetereundi sunt alii duces celeberrimi & acuendis ingenii exercitatissimi S. F. WILLENBFRG. I. V. D. I. SARTORIVS & P. PATER, quorum dexteritate, confilio & Eruditione ita est excitatus, ut cum saepius disputando vires privatim periclitaretur, huius ductu quoque publice de argumentis Mathematicis disceptaret. A. M. DCC VI. patria egressus, Academiae, quae in Regio monte floret, nomen dedit, anno autem post profectus in Gryficam Pomeranorum, ut exquisitam dicendi suavitatem summi Theologi D. I. F. MEYERI propius admiraretur. Mox eum accivit fama insigni doctrina & sanctitate morum conspicui sensis D. I. FECHTII, itemque IO. NIC. QVISTORPII, D. ZACH. GRAPPI interpretum S. S. in Academia Rostochiensi sub id tempus eximiorum. His in sacro religionis studio usus est Magistris, arbitrisque non semel cum verba faceret publice & doctrinas ad pietatem accommodaret. Placuit haec industria Academiae Patribus atque ita est probata, ut collatis Doctrinae liberalis insignibus, dataque potestate docendi, nostrum A. M. DCCVIII benebole ornarent. Talem sic postea se gesit, qualis diviniori aliquando coetui praeisci optabat. At vero intercipiebat hanc spem inepinatus casus & vis mali, quod ipsum affligebat graviter & non leve vocis, quae urgenda tamen haud raro concionanti est, inferebat damnum. Qua de causa valetudini consulturas, ad Iurisprudentiae studium mentem cogitationesque deflexit, ductu praesertim SCOEPFERI, HEINSH & HILDEBRANDI, quos insignes & celeberrimos ICtos Rostochii audivit diligenter & sectatus est. Neque ita multo post, dato opportuno itineris comite, ad exterios excurrit, ac discedens Hamburgo in Frisiam Occidentalem contendit, penetravitque ad praecipua Belgii loca, Amstelodamum, Harleum, Lugdunum, Hagas, Delphos, Roterodamum, Traiectum & alias Urbes, literarum & commerciorum laude florentes. Reversus Rostochium, repetit provinciam docendi, & promptam utilemque operam navavit filiis Viri generosissimi Da. de LVHE, ex illustri Domo Schulenburgensi. Sic sine ullo impedimento doctrinae & morum laude crevit pedentim, nec vulgaria praebuit Rostochii Gedanique ingenii documenta, quorum praecipua sunt Dispp. de Cultura Iudicii, de licita medi loci occupatione: de ministris obediendo peccantibus, itemque Orationes binae, de sapientiae studio: Prog. de Astrognosia Bibliaca: Compositio amicabilis in controversia inter Ch. H. Amthor ICtum Kil. & Carol. Arndtum Theol. Rostoch. Specimen de Grotio a suis commentatoribus immixto vapulante. Tandem captus amore Patriae, & Patronorum fultus benignitate, Gedani per aliquot tempus vixit, ibidemque non inert otio consumpsit tempus, sed iuventutis commode impendit omne ac disputando, docendoque industriae laudem, quam dudum acquisiverat, sustinuit praeclare. Neque nunc alium hic fore existimant PATRONI, optant omnes: sperat cumprimis studio iuventus. Quantopere etiam studeat omnium satisfacere expectationi, Oratione auspicali exponet ostendetque: MAIORA IN REMPVBL. MERITA ESSE SAPIENTIAE QVAM POTENTIAE. Rector autem nonnulla prius praeafari constituit & differere de eo AN REIPVBLICAE EXPEDIAT LIBRORVM ET LITERATORVM COPIA, docendi aditum novo Professori patefacturus. Qvod restat, Deum oramus & obtestamur, ut hanc doctrinae & pietatis officiam sua defendat gratia, ornet atque conservet, respublica tot malis & belli calamitatibus fessa, eius nutu respiret, tandemque animi, qui aestuarunt in iras & odio, divino amore flagrant, iudeisque, iniuriis & damnis antea divulsi, coalescant mansuetudine, ac mutuo pacis vinculo colligati, perpetuo teneantur. P. P. Dominica Quasimodogeniti A. M. DCCXVI.